



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De nouitio in Hemmenrode conuerso, de quo sanctus Daudid dixit, Non est
omnibus datum, cap. 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

DE CONVERSIONE

CÆSARIUS: Dicam tibi & aliud, quod temporibus seniorum nostrorum contigit in Claustro, matre nostra Hemmenrode, sicut illorum relatione cognoui.

CAPVT IIII.

*Resiliētes
à susce-
pto pro-
posito re-
ligionis.*

Jerem. 2.

Rom. 9.

VENIT illuc quidam adolescentulus multum deuotè & humiliter petens ingressum; susceptus autem, sine querela conuersatus est. Hūc uerò venerabilis sacerdos Dauid, de cuius sanctitate mira dicuntur, specialiter amabat, & ad propositum religionis uerbis suis mellifluis frequētius animabat: cui iuuenis idem sequentias & quæque dulcia cantica de Domina nostra uersa uice recitauit, quibus sanctam illius deuotionem sapius excitauit. Eodem anno stante aquilone, à quo panditur omne malum, cœpit idem nouitius fluctuare, & quia periculosè tentaretur, sancto uiro indicare; à quo multis sermonibus confortatus, cū tentatio non cessaret, tandem de perseuerantia desperatus ait: Ecce iam recedo, diutius quod patior sustinere non ualeo. Et sanctus; Expecta me, inquit, donec uadam ad ecclesiam, & orem, & promisit. Festinante uiro Dei ad oratorium, ille concito cursu rediit ad seculum, timens eius sanctis orationibus retineri. Reuersus venerabilis sacerdos ab oratione, cū non inuenisset, quem reliquerat in probatione, gemens ait: Non est omnibus datum, scilicet ut perseuerent in ordine. APOLLONIVS: Stupenda sunt, quæ audio: prior, de quo supra dictum est, Clarevallis, in sua & à sua peruersitate conuertitur; adolescens iste in sua conuersione peruertitur. Quid tibi de his sentiendum uideatur, edicito. CÆSARIUS: Dico, sicut dixit sanctus; Non est omnibus datum. In illo manifesta Dei misericordia prædicatur, in isto occultum Dei iudicium formidetur. Miserebor, ait, cuius misereor; & misericordiam præstabo cui miserebor: Non enim uolentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. APOLLONIVS: Procede ergo, quia expediri uolo, quo instinctu quibusue occasionibus homines seculares conuertantur ad ordinem.

CAPVT